

multitudo venisset, dato suis signo virgines raptae
 sunt. Ex quibus cum una pulcherrima cum magna
 omnium admiratione duceretur, Talassio eam duci re-
 3 sponsum est. Quae nuptiae quia feliciter cesserant,
 institutum est, ut in omnibus nuptiis Talassii nomen 5
 □ iteretur. Cum feminas finitimorum Romani vi rapuis-
 sent, primi Caeninenses contra eos bellum sumpserunt.
 Adversus quos Romulus processit et exercitum eorum
 4 ac duce Acronem singulari proelio devicit. Spolia
 opima Iovi Feretrio in Capitolio consecravit. Sabini 10
 5 ob raptas bellum adversus Romanos sumpserunt. Et
 cum Romae appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti,
 quae aquae causa sacrorum hauriendae descenderat,
 ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum
 6 suum in arcem perduxisset. Illa petiit, quod illi in 15
 sinistris manibus gerebant, videlicet anulos et armillas;
 quibus dolose repromissis Sabinos in arcem perduxit,
 ubi Tatius scutis eam obrui praecepit; nam et ea in
 7 laevis habuerant. Romulus adversus Tatium, qui mon-
 tem Tarpeium tenebat, processit et in eo loco, ubi 20
 nunc forum Romanum est, pugnam conseruit: ibi
 Hostus Hostilius fortissime dimicans cecidit, cuius in-
 8 teritu consternati Romani fugere coeperunt. Tunc
 Romulus Iovi Statori aedem vovit, et exercitus seu
 9 forte seu divinitus restitit. Tunc raptae in medium 25
 processerunt et hinc patres inde coniuges deprecatae
 10 pacem conciliarunt. Romulus foedus percussit et Sa-
 binos in urbem recepit, populum a Curibus, oppido
 Sabinorum, Quirites vocavit. Centum senatores a pie-